

Caloris ac frigoris patientia par; cibi potionisque desiderio 6
naturali, non uoluptate modus finitus; uigiliarum somnique
nec die nec nocte discriminata tempora; id quod gerendis 7
rebus superesset quieti datum; ea neque molli strato neque
silentio accersita; multi saepe militari sagulo opertum humi
iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt.
Vestitus nihil inter aequales excellens: arma atque equi 8
conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus
erat; princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio
excedebat. Has tantas uiri uirtutes ingentia uitia aequabant, 9
inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil ueri,
nihil sancti, nullus deum metus, nullum ius iurandum, nulla
religio. Cum hac indole uirtutum atque uitiorum triennio 10
sub Hasdrubale imperatore meruit, nulla re quae agenda
uidendaque magno futuro duci esset praetermissa.

Ceterum ex quo die dux est declaratus, uelut Italia ei 5
prouincia decreta bellumque Romanum mandatum esset,
nihil prolatandum ratus ne se quoque, ut patrem Hamilcarem, 2
deinde Hasdrubalem, cunctantem casus aliquis opprimeret,
Saguntinis inferre bellum statuit. Quibus oppugnandis quia 3
haud dubie Romana arma mouebantur, in Olcadum prius
fines—ultra Hiberum ea gens in parte magis quam in ditione
Carthaginiensium erat—induxit exercitum, ut non petisse
Saguntinos sed rerum serie finitimis domitis gentibus
iungendoque tractus ad id bellum uideri posset. Cartalam, 4